



VIRO

NOBILISSIMO AMPLISSIMOQ.

DOMINO

**M. GOTTLLIEB
SCHELGVIGIO,**

Affini & Amico suo aestumatissimo,

Cum

publicum docendi munus

in

ATHENAEO GEDANENSI,

d. XIII. Febr. CIOIOCCX.

Solenni ritu iniret,

gratulatur ex animo,

M. P. IAENICHIVS, Gym. Thor. R.

THORUNII,

Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS,
TYPOGRAPHUS.

Sicuti rerum naturalium, quae oriuntur in hoc sublunari mundo, ea est conditio, ut, si quadam afficiuntur plaga, intereant concidantq; aliquando vero prolapsioni vicinae restaurentur ac consistant: ita literarum studia & illas bonarum artium officinas similem experiri fortunam ac commutationes quasdam omnino quotidie videmus. Difficilis autem ac periculi res plena est, pestes, quotquot olim invaserunt scientias, ac hodie quasi jugulum petere videntur, explicare omnes. Dudum de his conquesti sunt sapientes, nec nostro desunt aevo, qui tristem illis imminere cataclysmum praevident animo ac deplorant. Tam enim late patet illa veneni vis, quam ampla est seges omnis generis vitiorum, quae obrepunt tum literarum expertibus, tum praecipue nonnullis, eruditione sua inflatis. Haec, quicquid est bonitatis in ingenio, extingunt pedetentim, & inducunt depravatarum opinionum labe, misere corrumpunt. Quicquid scientiarum aut artium compressum coarctatumque in illo est, non alia prodit plerumque natura, ac ipsum est, detortum videlicet, pravum ac vitiosum. Atque ita, veluti caseus a fiscella, eandem, quicquid ex eo prorumpit animo, formam acquirit, neque aliter indolem resipit, ac vinum identidem dolium vel utrem. Quo apparet, tenebras offundi saepius ac pestilentes nebulas, ubi lux erat expectanda. Nondum in angustas coactae cellulas erant artes, & insulae nondum earum monopolium privilegio quodam asseruerant sibi, quando errabundae praesidia ac tutelam quaerebant scientiae, atque inter frequentes bellorum labores, depraedationes & incendia urbium sarcinas colligere & alio migrare jubebantur. Procedente tempore sapientiam corripiebat deformis macies & horror. Stupor & inanis superstitio enervabat prudentiam. Disciplinas foedabant inamoenae ac leves interpretatiunculae. Intricatae ac subtiles nugae literas. Eloquentiae loco apparebant putida & detorta verborum monstra. Dissipata hac sensim malorum colluvie & immunita, reiectaque inveterata barbarie, non illibatae undiquaque artes ad posteros pervenerunt. Valde enim semper ipsis metuendum erat de corruptelis aliis. Imminebant novae clades, nec minus hodie ruinam minantur. Ignavia, negligentia rerum necessariorum, & non necessariorum amor. Coeca quorundam arrogantia, ambitio, invidia & illae speciosae fallaciarum umbrae magnam sane iis inferunt plagam. Illa sunt, quae & artes simul & domicilia earum ac sacraria convellunt, evertunt atque dissolvunt.

Ser-

Serpit hoc pestilens virus sensim, & interne conclusum aliquan-
tisper delitescit, dato autem erumpendi spatio, noxam prodit.
Acerbam praeterea fortunae conditionem, praeter bellorum inju-
rias & publicas calamitates, illis plerumque inducunt, imperito-
rum contemptus, malevolorum obrektiones, & insolentia
convitiatorum, quorum longum G. Arnoldus, ipse iisdem dele-
ctatus mirifice, contexuit catalogum, quibus Scholae & Acade-
miae sudes in oculis sunt, &, dum audaciae ipsorum sese oppo-
nunt, exosae. Ea quidem est communis omnium ubique docen-
tium fortuna, ut ambiguis sit exposita censuris. Fingere enim
adolescentes, ac sigillatim, ut notat Plato, rudes, indomitos & di-
sciplina domestica corruptos, ad unius cuiusq; ingenium, non ho-
minis hoc opus est. At vero, cum maledicentium injuria non
haereat in bonis, & invidi, dum gloriae & virtuti inservias, ex Se-
necae mente, torqueantur fortius, desudandum in eo est unice o-
mnibus, ut recte factorum conscientia confirmatos honestatis pre-
tium & sanctitas defendat, tum porro iusta sapientiae incrementa ac
felices literarum progressiones dissimilitudinem dictorum decla-
rent. Erat haec innoxia piorum priscae Ecclesiae defensio, cum
doctrina caelestis pariter ac innocentia Doctorum calumniis impro-
borum, obrektionibus & opprobriis labefactaretur. Passa est ita-
que Ecclesia semper suas & morum & doctrinae inclinationes.
Ab his cum Scholae & Academiae non disiunctae sunt, ut
praeclare olim docuit ex monumentis Bern. Zieglerus, in com-
muni plerumque versari videmus easdem fortuna. Concuti-
untur regna resque publicae vicissitudinibus suis, & ino-
pinatis conversionibus rerum novam identidem faciem acquirunt.
Nemo autem tam est Homerice oculis, qui non cernat has ipsas
omnium rerum commutationes, non casu quodam, sed occulto
Numinis consilio oriri, supraque vires esse humanas, inductam
longa annorum serie corruptionem emendare, & in temporis pun-
cto dudum amissam recuperare felicitatem. Facilius saltus est ab
meliori fortuna ad deteriorem, quam reditus a vitio ad bonita-
tem. Illud cuique vel improbo factu proclive, hoc ne quidem
optimo semper ac prudentissimo est. Haec forsitan erant, quae
perturbatiore cogitabam animo, cum atrocitas contagii, & gravif-
simae exactiones bellicae nos affligerent vehementer, nostraeque
adeo Musae, ut consuevit his fieri temporibus, ad acerbis curas vo-
carentur non unas. Recruduit dolor, quando eadem fati dirita-
tes proximam vexarent pertinaciter civitatem, veteri iurium com-
munio-

munione & amicitiae foedere nobis conjunctam. Nunc non
possum non laetari impense, disiecto aliquantisper malorum glo-
bo, tuas ab his meis non plane fuisse alienas cogitationes, solenni
oratione auspicali, uti edocti sumus, accuratius nuperrime expli-
catas. Nec leviori certe gaudio sum affectus, cum ad amoris &
amicitiae, quam Academia peperit primum, accessit una fortis
necessitudo, & quod principe loco erat commemorandum, sva-
vissimum affinitatis vinculum & nexus, cum eoque arctior multo
benevolentiae conjunctio & colligatio animorum. Proinde mihi
ipsi inferrem vim, nisi illam voluntatis meae propensionem gau-
diique vim & sensum profiterer ingenue, tuisque applauderem
ex animo splendidis, quibus es ornatus **Magnif.** Patrum aucto-
ritate, accessionibus honorum. Dudum paternae laudis aemulum
Te viderunt omnes, & erectior tuus ad res praeclaras animus
tanti **Te** Patris filium per ipsius vestigia incedentem ostendebat.
Maximus enim meritorum cumulus, quo sibi ille universam, qua
purior patet, devinxit Ecclesiam, tuam exacuebat industriam, ut
inclarescere aliquando non dissimili laudis ac vitae ratione annite-
reris. Fidelissima alioqui beneficiorum esse solet custos, memo-
ria eorum. Quodsi jam esset nemo, (credo autem esse plurimos)
qui Venerandi Parentis navatam pro tutanda doctrina coelesti
operam pensitaret recte, tu tamen ipse virtutum **SHELGVIGIA-**
NARUM famam & memoriam cum fratre optimo aeternam il-
libatamque conservabis. Atque ut olim scripto Paulinus Am-
brosium, Augustinum Possidonius ab oblivione vindica-
vit, tu non monumento tantum exarato, sed viva imagine excel-
sas Parentis Tui virtutes & solidum decus ad posteritatem transmit-
tes. De cetero, immortalis Deo demisse supplico, ut insigne
Tuum propositum, dignitatemque auspicato susceptam fortunae
clementer, atq; illo amplissimo continuatae laudis ac vitae fructu **Te**
frui feliciter & abunde sinat. Idem ille Deus quoque Parentem
summe Reverendam atque incomparabilem non magis Fa-
miliae amplissimae quam Ecclesiae juxta ac literarum causa,
praestet incolumem quamdiutissime, ut non minus ingra-
vescens ejus aetas, Tuorum suffulta conatuum solatio, in
Te conquiescat svaviter, quam Tu gravi ejus prudentia ac do-
ctrina adiutus, res Tuas sine impedimento ac prolapsione ex usu
patriae, artium bonarum ac cum primis studiosae juventutis
feliciter agas. Vale! Dabam e Museo Thorunii,
Ipsis Kal. Mart. c19 13ccx.